

Consulatu gerendo posse, Collegae credebant. Et sancte adfirmabat amicis Vir minime simulator sui, si pax esset, Consulatum suscepturum se non fuisse, idque se dudum apud animum habuisse constitutum. Nempe, cum tranquilla sunt omnia, nauis etiam sine rectore perito et forti cursum tenet, licetque viro bono et sapienti rem publicam non gerere. In ipso autem Consulatu nihil ille mollis animi fecit, nullius periculi communionem defugit, et pariter cum aliis in arce Plissica molestias sustinuit, quae ad extorquendas pecunias admouebantur. Interea, cum, ingrauescente aetate, et fracto molestiis corpore, sentiret, se illi oneri parem esse non posse, quod, auctis malis publicis, augeretur et ipsum, in orbem redeunte Consulatu, ita deprecatus est eam prouinciam, ut plane abdicaret se honore Consulari, et ad conditionem priuatam se redigeret, nihil sibi pactus commodorum Consularium. Quod hic vestigium est mollitudinis aut timoris? quid non pectoris robusti et constantis?

Atque haec tot, tam pulchris amabilibusque virtutibus ornata anima bene ac digne habitabat, sortita corpus iustae magnitudinis, membris omnibus, cum venustate quadam, respondentibus, et ore ipso, tum lineamentis et figura, tum colore, mixtaque grauitati comitate, ad pulchritudinem facto. Sed erat tamen natura tenerius: ceterum in iuuentute exercitationes equestres, in quibus etiam excellebat, per omnem vitam temperantia in rebus iucundis, et moderatio tranquilla animi, aliquantum roborauerant. Graui morbo nullo conflictatus est vnquam: aliquoties tentari meminirhus ab leui febricula: sed ad extremum fractus est et aetate, et multo magis molestiis bellicis. Et succurrere labanti corpori tentabat secessu ab Vrbis strepitu et turbis ad Fontium fortunatorum tranquillitatem: a quibus etiam, cum bello finis factus esset, ad nos rediit sic, ut satis valere videretur. Sed querebatur tamen, pedes interdum corpus non satis sustinere, nec memoriam satis respondere. Itaque ei timere a mortis subitae periculo coepere, qui amabant, aut curam corporis et valetudinis sustinebant. Nec illum timorem inanem fuisse, docuit euentus: quippe Kalendis ipsis Februariis, cum a somno, sumta calida, sermones habuisset cum Filia, recreassetque se eius pietate et obsequio, vix ab ea digressum perculit ictus fatalis, et vitae pulcherrime actae finem attulit. Vixit annos LXXII, menses septem amplius: viuet perpetuo, pia et grata memoria suorum, propinquorum, Scholae Thomanae, Ciuitatis vniuersae.

Sed